per certos Senatores et Consiliarios nostros peterent a nobis, ut
eam in rem consensum nostrum adhibere dignaremur. Et Nos itaque
multoties reipsa experti multum Regimini Civitatis illius sibi-
met expedire ne Magistratus qui bono Regimini Civitatis continue
invigilare debet vexationibus eiusmodi a deliberationibus publi-
cis avocetur et distrahatur facile intercessioni praefatis pro illis a-
pud nos factae annuendum esse existimavimus. Consentimus itaque
et permittimus praedictis Consulibus ut villas dependentes recensitas Sub-
kowa et Trzichow necnon Oswiecza desertam cuicunque poterint iure Ho-
reditario quo ea antecessores eorum acquisiverunt vendant et in
Iudicio competenti resignent quam venditionem et resignationem
posteaquam facta fuerit firmam et validam emptoribusque et eius
successoribus perpetuis temporibus valituram esse debere decernimus
et declaramus. Ea tamen lege et conditione ut Consules qui eam
venditionem facturi sunt primum ante omnia fundos eorundem vil-
larum qui fundis civilibus contigui sunt limitibus competenti
et perpetuis disiungant eorumque limitum in instrumentis venditionis
expressam faciant mentionem ne difficultatibus in posterum lo-
cum aliquem relinquant. tum ut pecuniam pro iisdem bonis ac-
quisitam in nullos privatos usus in parte vel in toto convertant
Sed eam super bona certa et libera iurisdictionis suae collocent
ita ut fructus eius pecuniae redditibus villarum praefatarum
respondeat et ad successores eorum Consulum iuxta decretum Serenissimi
Regis Stephani quo eaedem villae ipsorum Consulum usui
adiudicatae sunt integre pertineat. Quod nobis tandem tes-
tatum facere et translationis eius pecuniae approbationem a
nobis petere debebunt et tenebuntur quam nos rei aequitate
perpensa illis non negabimus. In cuius rei fidem etc.

Mandatum ad Procons: Gedanen.

Sigismundus etc.

Spectabili Proconsuli Gedanen. Fideliter nobis dilecto gratiam
nostram Regiam. Spectabilis Fidelis nobis dilecte ab officio Fid. tuae
devoluta fuit causa per appellationem ad Iudicium nostrum inter Ge-
nerosum Bartholomeum Tulicskij Castellanum Bresten.
Stuchoviensem et Rogoznen. Capitaneum actorem et Joannem Strakows-
kij Commentarium Gedanen. citatum occasione non satisfactionis

certo contractu de certa structura in villa Tyblicse erigenda per cittatum cum actore facto In qua causa determ Judicij nostri sub ipsum discessum nostrum Warsouia Cracouiam intercessit et pro exequtione ad officium Fid. tuae remissum est Cum an autem terminus sex septimanarum exequutionis eiusdem decreti prius appropinquauit quam Judicium eius caussa ad notitiam memorati Castellani perueniret et prius quam decreti exemplar autenticum in manibus habere posset idque ob distantiam domicilij eiusdem Castellani et in terminem tunc discessum nostrum Ideo Fid. tuae Mandamus ut non obstante lapsu termini ex eodem decreto prouenienti nec obstante condemnatione actoris si quam forte pars cittata in termino obtinuerit determ praefatum nostrum absque quauis tergiuersatione exequatur omninoque et talis fieri curet Pro gratia nostra officijque sui debito

Approbatio census Reemptionalis
Sigismundus etc. Scamus etc.

Quod cum nobis relatum esset nomine et ex parte Venerabilis Christophori Zelner quod ei censum reemptionalem septuaginta florenorum apud nobilem Joannem Rottermund dependo... lapidea ipsius propria emisset ea intentione ut eum ad pias causas fundaret supplicatumque nobis esset ut eandem emptionem census reemptionalis approbare fundationique praefatae consensum et authoritatem nostram Regiam addere dignaremur Nos qui cultum diuinum pro innata nobis pietate augeri semper cupimus facile supplicationi praedictae annuendum esse duximus Quapropter primum quidem emptionem census praefati in omnibus eius punctis clausulis et articulis approbamus confirmamus et ratificamus ita prout latius in emptionis instrumento continetur Deinde vero eidem Venerabili Christoforo Zelner potestatem facimus ut possit et valeat siue per codicillos siue per quodcunque aliud rescriptum eundem censum Altari Ecclesiae Kerodsdico vel cuicunque alteri pro loco in pias causas dare donare legare et erigere Quem quidem censum postea quam sicuti praelegatum est ubicunque fuerit fundatus eum exnunc ab omnibus oneribus et iurisditione quauis seculari eximimus immunitatibus vero libertatibusque Ecclesiasticis ascribimus et incorporamus

329